ulterius; ubi et ſimul de uerbis, *grammatice* ſaltim *actiuis*, apprehendere, applicare, appropriare etc. accuratius uidebimus. D. BVDDEI *Inſtit. Theol. Dogm. L. IV. c. 4. §. X. p. 1031. ſeqq.* Eadem uia D. WALCHIVS inceſſit, ut rem iſthanc, defenſorio licet nomine, etiam, cum ſenſu ſuo *latiori* ac *ſtrictiori*, FR. GOTTH. VVAGNERVS conficere nequiuerit; nullus namque *effectus*, nulla *filia*, nullum in lucem editum *ſcriptum*, quantacunque etiam in latitudine ſingula haec tria ſumas, hinc ſuam *cauſam*, hinc *Matrem*, hinc *Editorem*, antecedere atque prae his tribus obtinere prioritatem poteſt, ne inſurgant forſan in poſterum nonnulli, qui, ſenſu *latiori* nixi, iuſtificationem, uel ipſam quoque ſalutem, Bonis tribuere, Operibus uelint. *Vindic. iudicii, num B. O. in iuſtific. ſint praeſent.* p. 8 ſeqq. Quam minime uoua haec ſit Theologorum ſententia, caritatem, ſpem, aliaque ſimilia OO. nec antecedere, nec, in momento iuſtificationis, eſſe una cum fide poſſe, ex *Symbolis, Luthero, Bugenhagio,* Miniſterio *Tripolitano, Magdeburgenſi, Norimbergenſi, Antwerpienſibus, Ienenſibus, Nic. Gallo, Wigando, Flacio etc. Sarcerio, Selneccero, B. Menzero, Scriuero, Cypriano, Scheiblero,* ſolidiſſime edocuit D. KLVGIVS, *praefat. ad Conc. de praeſent. B. O. in iuſtif. p. XII. ſeqq.*

V.

Vt Summi hinc mederi, laudabili inſtituto, anniſi ſint.

Aſt uero, non Theologorum ſaltim oculos haec ueritas praeſtrinxit; ſed ſumme eminentes quoque, quam recte hactenus de actiuitate iuſtificatoria, ac Χωρισμῷ Scripturae ſenſerimus, feliciſſime aſſecuti ſunt. Improbatur in Edicto Serueſtano, Anno cIↄ Iↄcc ix. doctrina Nouatorum: *Der wahre ſeligmachende Glaube beſtünde an ſich ALLEIN in dem Halten der Gebothe GOttes,* uid. EDICTA *a S. R. Dn. NEVMEISTERO edita, p. 211.* Improbat *Edictum Electoral. Brunſuuig. Luneb.* et quae illo nititur, *Ordinatio Conſiſtorial.* A. cIↄ Iↄ ccIII. aſſertum recentiorum quorundam; *Daß ſie das Studium Pietatis und bonorum OO. zum Praeiudiz und Verkleinerung des Glaubens treiben. l. c. 105.* Mederi hic quoque neceſſum habuit, *Receſſus Eslingenſis, A. 1709.* quo cautum eſt: *Von der charitate ſoll nicht gelehret werden,*